Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2225
Quelle:
Copyright:

biae damnis, et Humilitatis commodis in D. *Bernardi* laudes excurrit. Unde et ad calcem dicitur *predicatus in constantia ad laudem dei et sancti Bernardi.*

Fol. 97. Sine inscriptione: *Mittam vobis frumentum vinum et oleum* &c. Incipit: *Pater misericordiarum et deus tocius consolacionis* &c. Paneggricus D. *Thomae.* Unde et ad calcem dicitur *predicatus in constantia ad honorem dei et sancti thome Carthinensis* (an *Cantuariensis?* Sed *Aquinas* est) *doctoris eximij.*

Fol. 101. p. 2. Sine inscriptione: *Egredietur virga de radice yesse* &c. Incipit: *Jocunda festiuitas et suauis est ista, in qua nobis ad memoriam reducitur* &c. Totus agit de laudibus B. V. Unde subscribitur *predicatus constantie de natiuitate gloriose virginis marie.*

Fol. 111. p. 2. Sine inscriptione: *Hic est Johannes* &c. Incipit: *Attestante veritatis excellentia difficillimorum operum ostentacio* &c. Laudatio, nihil de rebus Concilii adtingens. Unde ad calcem: *Predicatus in constantia de sancto Johanne ewangelista.*

Fol. 118. Sine inscriptione: *Adducentur regi virgines* &c. Incipit: *Quoniam prima mater nostra ewa excecauit mentis indaginem* &c. Laus Virginitatis, exprobratio malorum morum, etiam in Clero, commendatio Urbis *Coloniensis*; nam dicitur in calce habitus *de virginibus, de sancta vrsula et eius sodalibus.*

Fol. 122. p. 2. Sine inscriptione: *Consurget virga de israel* &c. Incipit: *Sanctissime virginis ac matris Domini omnium saluatoris, cuius conceptionis diem* &c. Copiose et docte controversiam de immaculato Conceptu προβληματικως quidem explicat; propendet tamen in adfirmationem. Inter alia: *Si pars illa manifeste foret erronea, nunquam permisisset ecclesia tot aunis eam publice predicari, et maxime in loco, vbi sunt papa cum cardinalibus, quos quondam dominos Cardinales plures vidi sollempniter interesse missarum sollempnijs et sermoni, quando festum conceptionis agebatur. Nunquam eciam venerabilis Vniuersitas Parisiensis — sustinuisset, quod illius partis posicio singulis annis — fuisset in sermone Vniuersitatis ad clerum publice docmatizata.* Ad calcem: *Finis sermonis de conceptione beate virginis marie.*

Fol. 136. e calce: *Sermo conceptionis incarnati filij dei creatoris.* Nempe in Festo Annuntiationis. *Quomodo fiet istud.* Incipit: *Consideremus, si hodie omnium mentes grandescunt ymaginibus rerum celestium* &c. Totus in expendendo Mysterio.

Fol. 139. p. 2. e calce: *Sermo de sancta trinitate et maxime de cognitione vnius dei. Non est similis tui in dijs domine.* Incipit: *Si plebs fidelis alias festiue commemorat deum patrem in festo temporalis natiuitatis filij* &c. Sermo profundus et egregius, sed res Concilii non adtingit.

Fol.